

manno & Albino testibus, loc. cit. in Thuringia reperitur: quare curiosos ad querendum invito. Omitto reliquas in lapidibus figuras, ex conchiliorum & lapillorum variorum congerie ita formatas atque compositas.

CAPUT VII.

DE

LAPIDIBUS EX QUORUNDAM VEGETABILIVM ET ANIMALIVM MUTATIONE FIGURATIS.

§. I.

HActenus de *lapidibus nulla certa figura gaudentibus, & ex naturæ lusu figuratis*, dixi. Sequitur jam ordine tertium genus *Lapidum, ex transmutatione vegetabilium animaliumque, figuratorum.*

§. 2. Antequam vero de his lapidibus ago, cui Sectæ me addixerim, cuique rationi meam sententiam subscripserim, dicturus sum. Constat, diversas sententias de his lapidibus in publicum prolatas esse,